

_Lettera_N_3364b

Circolare ad arcivescovi e vescovi non italiani

*Marsilla poster. 10 febr. MDCCCLXXXI

Excellentissime ac Rev.me Vir,

Ut mihi des operam ad rem perficiendam nuper incoeptam, et maxima charitate zeloque a Leone XIII, Pontifice Maximo commendatam, Te, Excellentissime ac Reverendissime Vir, venerabundus enixe rogabo.

Ex ipsa enim carthula hic adiuncta facile poteris rem animo perspicere, de qua hic sermo est, et ipsius Pontificis Maximi voluntatem.

Ut igitur libenter accipias velim Benedictionem, quam Tibi hujus rei gratia, Pontifex Maximus impertitur; neque Tibi sit molestum, me Tibi amore devinctissimum honoris causa ultro profiteri.

Joannes Bosco Sacerdos

P. S. Quoniam summa urget necessitas opus hoc perficiendi, quod insumitur, Te rogo, ut quae colligere potueris illico Romam mittas ad unum ex illis in altera epistola nominatis.